



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Utrùm ex rebus illicitè acquisitis debeantur decimæ, & an ex  
acquisitis titulo lucrativo?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fidia præcipiatur, ut necessaria vitæ tanquam debitum stipendium, subministrantur illis; tum quod ex Christi præcepto, dignus sit operarius cibo suo *Matth. 10.* Quatenus verò sunt certa & determinata quora, decima v. g. pars fructuum, tempore quidem legis Moysaicae jure divino positivo debebantur Levitis, juxta *capit. 27. Levitic.*; in novo autem testamento clericis de jure positivo canonico tantum debentur, cum nulla lex divina in novo Testamento extet, qua obligentur fideles ad decimam partem dandam clericis, multa autem sint SS. Canonum præcepta ad hanc quotam obligantia. Potest quidem dici, deberi decimas etiam in novo testamento originaliter de jure divino, eo quod canonica institutio, circa decimas dandas, originem suam acceperit ex jure divino, in antiqua lege decimam talem partem præscribente; & quatenus solvuntur in recognitionem supremæ Majestatis, formaliter etiam de jure divino præcepta sint, non tamen probari potest efficaciter, quod formaliter acceptæ, ut sunt hæc determinata quora ministris Ecclesiæ solvenda, sint juris divini.

## SECTIO II.

De rebus, ex quibus decima sunt solvenda, & de modo, quo solvi debent.

## §. I.

Ex quibus rebus decima sive prædiales, sive personales sunt solvenda?

Communis ac certa Doctorum omnium sententia est, quod solvi per Compend. Pirhing.

se debeant decimæ prædiales ex omnibus proventibus rerum omnium tam mobiliū, quam immobiliū, uti patet ex *c. nuntios. 6. c. ex parte. 21. c. ma. 26. & pluribus alijs hujus tit. capitulis.* Ubi in specie certæ nonnunquam res exprimuntur, ex quibus debent dari decimæ; & asseritur etiam, quod integrè eas solvi debeant, ac sæpius eodem anno, si sæpius & diversis temporibus seminati ac producti fructus fuerint, & qui in mora culpabili solvendi sunt, censuris etiam Ecclesiasticis ad harum solutionem compelli debeant.

Decimæ verò personales, ex omnibus quidem illis, quæ industriam hominis, & hujus labore licitè acquisita sunt, etiam ex stipendio militis, advocati, procuratoris &c. ex præda, venatione, piscatione, aucupio (si tamen inter personales has posteriores numerare velis) solvi debeant, jus commune spectando, uti *ex c. 22. & 23. ac alijs pluribus hujus tit.* patet, plurima tamen tam de his decimis personalibus, quæ omnino abrogatæ per contrariam consuetudinem videntur, quàm de prædialibus legitima consuetudo immutavit, quæ servanda erit in hac juris positivi materia.

## §. II.

Verùm ex rebus illicitè acquisitis debeantur decimæ, & an ex acquisitis titulo lucrativo?

Decimæ prædiales etiam ex rebus injustè & illicitè acquisitis solvenda sunt, sic ex finctibusagri, quamvis usuraria pecuniâ hinc coemptus sit, aut illius possessio violentè acquisita sit, debentur decimæ prædiales, cum præda aut usurarius non debeat esse melioris

A a a a

con-

conditionis, quam iustus Dominus, & bonæ fidei possessor. Circa personales tamen decimas, ubi earum adhuc usus est, distingui debet, ita ut non debeant solvi, nec ab Ecclesia accipi possint, si res injustè contra iusticiam commutativam sint acquisitæ, per factum v. g. rapinam &c. ita, ut talium rerum dominium non acquiratur accipienti, tum quòd nullo modo de tali re disponere possit ille, qui taliter hæc injustè acquisivit; tum quòd Ecclesia, hæc à non Domino tradita, accipere non possit, ne videatur illius injustitiæ cooperari; solvi verò debeant, si res illicitè quidem, ob turpem causam v. g. contra temperantiam, castitatem, seu similem virtutem &c. acquiruntur, ita tamen ut earum dominium accipiens sibi acquirat, nisi fortassis ex hac etiam acceptione scandalum oriretur, si Ecclesia decimas personales ex his etiam illicitè acquisitis acciperet.

Ex illis verò, quæ titulo gratuito, sive lucrativo acquiruntur, ex hæreditate v. g. legato, donatione liberali &c. quòd de jure communi solvendæ sint decimæ, multi concedunt, cum jura loquantur universaliter, quando de decimis solvendis loquantur, de omnibus bonis, & de omni lucro licito solvendæ decimas, afferentia; fatentur tamen etiam ad consuetudinem hæc in re attendendam, & multas alias exceptiones faciunt, ut meritò probabilior sententia videatur, quòd ex taliter acquisitis nullæ decimæ personales sint solvendæ, cum hæc de jure communitantum solvi debeant ex lucro, industriâ vel operatione hominis acquisito, qualiter

acquisita non sunt, quæ gratuita liberali donatione &c. acquiruntur.

## §. III.

An & qua ratione decimæ sint integre, & absque diminutione solvendæ?

Quòd integre solvi debeant decimæ prædiales, & quæ mixtæ dicuntur ex dictis & varijs hujus tit. juribus tet: censentur autem integre solvi solvantur non deducendo prius ex decimis indecimatis census, tributa, expensis &c. aut alia debita, ut colligitur ex c. cum homines. 7. i. Tit. 26. & c. cum non sit. 33. h. i. hæc enim deducendo prius, quam decimæ solvantur, magna fiet diminutio cum prædialibus Ecclesiæ & divini cultus interesse cum hic temporalibus credituribus dominis postponeretur; & quanto fructuum nomine in jure illi tantum fructus veniant, qui deductis expensis sunt, intelligi tamen hæc accipi debet non in ordine ad decimas, sed reparationem damni ob factam laborem. Ex personalibus verò decimis solvi debeant, deduci prius expensis, quæ necessariæ & utiliter ad fructum acquirendum factæ sunt, ut colligitur ex c. pastoralis. 28. h. i. cum tamen decimæ non possint computari nisi decimæ cum industriâ & operâ hominis acquisitum, ex quo decimæ personales solvi debent, si earum aliquis usus est.

3(0)

SECTIO